

suarum ditionum sinu pestem non extinxerint. Ejus rei cau-
 sæ, quas alio loco adduximus, clarius hoc anno elucescent.
 Interea operæ pretium inspicere est, Ligures, atque eosdem
 Illyricos Romanam Rempublicam perplures annos exercuisse.
 In Ligures Consules missi, qui cum prædura gente bellum ge-
 rerent, ut ad continendum inter magnorum intervalla bello-
 rum Romanis militarem disciplinam natus hostis (ut inquit
 Livius) videretur, neque alia provincia militem magis ad virtu-
 tem acuit. Loca montana, aspera; itinera ardua, angusta, in-
 fidiis infesta; hostis levis, velox, repentinus; inops regio:
 nec intermissa unquam vel materia belli, vel causa, cum do-
 mestica inopia adaacti vicinos incursarent agros, nec unquam
 in summum rerum discrimen dimicaretur. Eadem pestis Illy-
 ricum ea tempestate obsedit. In iis oris latrocinia maritima,
 navigia, quæ superum mare depopularentur, assiduaque cum
 effera gente Romanis dimicatio. Eadem infamia perpetuis post-
 ea temporibus iisdem in locis laboratum. Crepidines mon-
 tium, maris sinuosi flexus, tenebræ munimento semper fuere.
 Initio hujus anni in Rovinii, Istriae oppidi, portu negotiatorum
 ad urbem commeantium navigia ab armatis lembis, quæ no-
 ctu se in portum invexerant, intercepta ac direpta. Eo suc-
 cessu institores afflicti; civitas, ad quam ex mercaturæ negotio
 quæstus, divitiæ, atque amplitudo manant, commota atque
 indignabunda. Hermolaus Theupolus, qui tunc Pinguenti,
 Istriae oppidi, præfecturam gerebat, secundo cum summo impe-
 rio legatus in Illyricum designatur, qui, perdomitis antea pi-
 ratis, summo terrori erat, ut, de illius electione fama perva-
 gata, haud parum exhorruerint. Ei Senatus mandata mittun-
 tur, quibus opportuno, quo sibi uideatur, loco conscendere,
 atque in Illyricum proficisci jubetur. Cohortes aliquot Italo-
 rum peditum transmissæ, cum supra ordinarios milites quadrin-
 genti in provincia essent. Justinopolitano magistratui jussu,
 ut ad Rovinii portus custodiam pedites ordinum ducentos adhi-
 beat; iis Italica cohors adjecta. Jaderam statim Theupolus
 contendit: ejus præsentia trepidi ac conterriti piratæ; ejus tra-
 ctus incolæ intra tutos sinus se condunt; suspecta loca, aggesta
 humo ac stipitibus, communiunt. Ille in omnem occasionem
 intentus, cuncta accurate expedit. Verum in eo conatu acuta

1597

*Uscobi in
 Rovinii por-
 tu navigia
 Veneta diri-
 piunt.*

*Hermolaus
 Theupolus
 legatus in
 Illyricum
 mittitur.*